

638
69

DISPUTATIONEM METEOROLOGICAM

De
V E N T I S,

SUB PRÆSIDIO

Viri Præcellentis, nec non Præclarissimi

DN. M. JOHANNIS CHRISTOPHORI Hundeshagen / Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti meritissimi,

DN. PATRONI AC PRÆCEPTORIS OMNI

HONORE ÆTERNUM PROSEQVENDI


Ad d. Nov. e19 Ioc LXVII.

Placido Eruditorum Examinei subijciet


JOHANN-FRIDERICUS PEUSCHELIUS,

Culmbacensis Francus.

Autor & Respondens.



JENÆ Typis GEORGII SENGENVVALDI,
ANNO M. DC. LXVII.



V I R O

*Nobilissimo, Maxumè strenuo atque
Magnifico*

DN. JOHANNI CHRISTO-
PHORO à PUHEL, Hæredita-
rio in Dörlau / Burghaig & Jhdorff CÆS. Pal.
Comiti atque Icto, Sereniss. Principis ac Domi-
ni Da CHRISTIANI-ERNESTI, Marchionis Brân-
denbürgici &c.&c.&c. Consiliario Intimo, Sacri Con-
sistorii Præfidi, & Feudorum Præposito, nec non
ad S. R. Imperii comitia Legato
gravissimo, &c.

*Mæcenati ac Patrono Maxumo, Cognato ad
instar Parentis omni filialis observantiæ
genere obsequiosè atque aternùm colendo,
honorando.*

U T E T,



V I R O

*Maximè Reverendo, Nobilissimo atque
Magnifico,*

DN. CASPARO à LILIEN,
CÆS. Pal. Com. Doctori Theolo-
go celeberrimo, Consiliario Intimo, Eccle-
siæ Sereniss. Aulae Concionatori supremo, supe-
rioris Marchionatus Superintendententi Generali,
venerandi Consistorii Baruthini Adessori Prima-
rio, & Illust. Gymnasii CHRISTIAN - ER-
NESTINI Directori solertissimo &c.


*Mæcenati ac Patrono Summo, atque omni ani-
mi submissione de venerando*

In signum debitæ observantiæ & ulterioris
Favoris atque Patrocinii incitamentum

Has, qualescunque, studiorum Primitias
dat, dicat, dedicat,

cliens humillimus

Autor



I. N. J.

Inter cætera, quæ Philosopho-
 rum Coryphæus Aristoteles reliquit
 memoriæ prodita, haur minimi esse
 momenti illud arbitror, cum in fron-
 tispicio *lib. 1. Metaph.* hunc in modum
 inquit: πάντες ἀνθρώποι τῆς εἰδέων ἀπέχου-
 ραι φύσει. Quibus innuere voluit, ni-
 hil hominibus à naturâ ad eò esse insitū atque implanta-
 tum, quàm cupiditatem venandi & cognoscendi earum
 rerum causas, quæ in hoc mundi proscenio offerunt se-
 se quotidie, atque ostendunt. Etenim hoc ipsum testa-
 tum abundè faciunt non ii tantùm, qui literis planè
 nullis tincti atque imbuti, sed & qui Musarum in castris
 stipendia merere solent, eoque nomine in celebriorum
 hominum ore versari gestiunt, cum in rationes eorum,
 quæ accidunt, sensibusque externis deprehenduntur, in-
 quirant sedulò. Ea propter minimam me subiturum
 vituperationem spero, si & ego pro genii ac ingenii mei
 modulo è scientiâ, quæ naturale corpus considerat, ali-
 quid pertractandum præsumam. Diu autem multùm-
 que cogitanti, quamnam potissimùm materiam felige-
 rem, atque expensâ ejus naturâ benevolæ eruditorum
 censura exponerem, VENTORUM doctrina, quæ sub Dis-
 putationis incudem referretur, digna inprimis habita
 est. Quantumvis verò me non fugiat, tantam hic oc-
 currere difficultatem, ut Philosophia ipsa balburire vi-
 deatur, & sapientissimi quique Naturæ consulti excla-
 mare

679.

mare habeant maximum, quod scimus, est minimum eorum, quæ ignoramus; audendum tamen aliquid existimavi, spe fretus certissimâ, apud æquum atque benevolum Lectorem veniam me facillè impetraturum, si nucleo ignorato circa corticem saltem verfer, & ubi cognitio nõ concessa distincta, confusâ sim contentus. Aliquid enim nihilo præstat, & in magnis voluisse sat est, sufficitque esse aulocdum, citharæodus quinequit. Te verò Deum T. O. M. supplex invoco, ut Spiritum tuum S. velis clementissimè conatibus indulgere, laborem divinæ benedictionis rore irrigare, eûdemque provehere feliciter atque secundare. Sit ergo B. C. D.

THESIS I.

Nostro satisfaciendi officio necesse habemus, quod nobis discutiendum summsimus argumentum, certo ac convenienti ordine pertractare. Hac autem pergemus methodo, ut inquiramus (1.) *Quid sit Ventus.* (2.) ponamus ejusdem causam *Materialem.* (3.) *Formalem.* (4.) *Efficientem.* (5.) *Finalem.* (6.) *Divisiones.* (7.) *Tandem Affectiones,* & coronidis loco *eorum signa nonnulla & præsagia.*

TH. II.

Definit autem Schola Peripateticorum VENTUM, quòd sit meteoron aëreum genitum ex exhalatione calidâ & siccâ, astrorum virtute elevatâ, & lateraliter motâ, & cui quandoque vapores sint admisti, ut ejus motu aër ventilando perpurgetur, & ita salus animantium promoveatur ac conservetur. Ponitur *Generis* loco quòd sit *Meteorò.* Corporis enim imperfectè misti, nempe exhalationis, impressio est; & quidem *aëreum,* non tam ideò, quòd fiat in aëre, hoc enim aliis quoque convenit *meteoris,* sed potius, quòd proximè ad aëris naturam

ram accedit, ita ut facilè in illum resolvì possit, & cum aëris agitatione semper est conjunctus; dum enim exhalationes illæ hinc inde in aëre pelluntur, moveri utique aërem simul in propatulo est. *Differentia* defumitur à Materiâ, Formâ, Efficiente & Fine.

T H. III.

Materia Ventorum est exhalatio calida & sicca, terrefræ ac macrior; vel uno verbo, est Fumus expers pinguedinis. Quibus verbis simul quoque exprimitur materiæ certa conditio, ad generationem hujus meteoris necessariò requisita, nimirum, ut sit macrior, sive pinguedinis expers. Nam si pingvior sit exhalatio, calida quoque magis erit, atque ita non ventorum, sed potius ignitorum meteororum materiam exhibebit. Esse autem exhalationem Ventorum materiam, probant *Comibr. tr. 6. de meteoro. c. 2.* primò ex eo, quod tempore verno & autumnali plurimi ac frequentes spirant Venti, quia tunc maxima exhalationum suppetit copia partim propter aperature meatuum terræ, partim, quia solis calor debilior non potest dissolvere illas, ac dissipare. (II.) Ut plurimum, cum nix liquefcit, venti excitantur, propterea, quòd ei permixta est sicca exhalatio, quæ dissoluta nive excernitur & evolat. (III.) Sole oriente exuscitantur venti; quia Sol calore suo moderato sopitas antea frigore exhalationes evocat. (IV.) Cum venti spirant, aut spiraturi sunt, rubedo interdum circa Solem & Lunam conspicitur, non certè aliâ de causâ, quàm quia Ventus fumidâ ac torridâ exhalatione constat.

T H. IV.

Non autem Fumum ex terrâ macrâ proveniente[m] solum esse materiam Venti, sed ferè semper vapores ad-

671.

admixtos, ipsi notant *Conimbr. d. l. & Fromond. l. 4. meteor. c. 1. art. 2.* Si quidem per integros menses quandoque eos è mari spirare, nautæ suo cum damno sæpius experiuntur. Hoc nempe illa est Æolia, unde

— *Venti, velut agmine facti,*

Quà data porta, ruunt, & terras turbine perflant.

Et unde est, quòd pluviis nonnunquam excitentur Venti? Nam cum terra magno Solis æstu torrefacta & exiccata est, nihil expirat: Sin verò modica supervenit pluvia, humectat eam & adustionem corrigit; Quare cum antea propter nimiam siccitatem expirare nihil poterat, jam propter modicam rigationem & humectationem præbet materiam exhalationum, ideo expirat, & ventis futuris subministrat fomentum.

T H. V.

Fuerunt non pauci Philosophorum, qui Ventum nihil aliud esse existimarunt, quàm aërem commotum, uti videre est apud *Conimbr. tr. 6. c. 1. de Meteor. & From. l. 4. c. 1. art. 1.* Sed hæc sententia valde est absurda: Si enim ita esset, quæ reddi posset ratio, cur uno tempore plures venti spirarent, quàm alio? aut cur ab unâ plagâ plures venirent venti, quàm ab aliâ? Deinde etiam cum tormenta bellica ingenti boatu refona exploduntur, nonne magnâ vi aër agitur? Similiter cum ingenti vi turres decidunt: quis verò hanc aëris agitationem ventum appellabit?

T H. VI.

Forma Venti consistit in motu transverso; dum enim fumus à frigore mediæ regionis aëreæ repulsus reflit, & ita impetu suo deorsum vergit, propter insitam tamen levitatem magis sursum tendere aptus natus est, fit hinc, ut nec sursum nec deorsum, sed obliquè tandè, & ad latera moveatur.

T H.

T H. VII.

Efficiens causa universalis prima Deus est. Hic producit ventos de thesauris suis, ut habetur Ps. 135. Creat ventum. Amos. 4. Causa secundaria remota sunt Astra, quæ exhalationes & vapores è terris & aquis educunt: Propinque verò juxta Peripateticos Nubes, & frigiditas media æris regionis, habitum ascendentem repellens & deorsum trahens. Quando enim calidus & siccus è terrâ exortus vapor suâ levitate sursum ascendit, à nubibus & æris mediæ regionis frigore repercutitur; ob inditam autè levitatem, quâ in superiora contendit, & propter succedentes & à tergò prementes vapores rectâ descendere nequit, tunc neutra pars vincit, at verò quasi partitâ contentione neque sursum neque deorsum, sed obliquè fluere cogitur, non secus atque fumus, qui per caminum lineâ rectâ quidem ascendit, sed à ventis obstantibus percussus in obliquum fertur.

T H. VIII.

Bodinus lib. 2. Theatr. & nonnulli Philosophi Lovanii, recensente Fromondo, statuerunt, Ventos esse Angelorum effectus, & ab iis semper moveri, excitari & gubernari. At enim verò, licet Deus operâ Angelorum in excitandis tempestatibus & insolente motu ventorum utatur, ut Exod. 10. v. 13. *Dominus induxit ventum urentem totâ illâ die ac nocte, & mane factò ventus urens levavit locustas.* Et Jonæ cap. 1. 4. *Dominus misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari.* Psalm. 77. v. 50. *Plagæ illæ Ægypti vocantur Immissiones per Angelos malos.* Dæmones etiam permissioe, etsi non jussu divino sæpe ventos & procellas movent, ut Jobi cap. 1. v. 19. *Repente Ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus.*

Quic.

Quicquid tamen de hisce sit, non satis Philosophicum, sed imbecillitatis signum esse videtur ad invisibilem causarum opem confugere, cum causæ naturales dari possint. Accedit, quod Venti nullâ cerrâ lege flant, sed eodem aliquando die, ter, quater & sæpius variant; modo etiam acrius, modo languidius ab eodem Horizontis puncto venire solent: Quæ irregularitas satis significat, non regi immediatè ab aliquâ Substantiâ intellectuali, in cujus operationibus constantia major & lex certior animadverti solet. Imò aliqui Venti tantum die, aliqui tantum nocte, aliqui tantum vere, aut autumno, aut aliâ parte anni flare amant; quorum ratio reddi non potest, si Angeli Ventos arbitrio frenant, aut laxant; potest verò, si aliâ Physica statuatur causa. Ut ita negemus, rerum naturalium operationes ordinarias per Angelorum ministerium exerceri. Sed sicuti ignis calefacit, aqua frigefacit, & per alveum fluminum delabitur sine operâ Angelorum; Ita quoque Venti naturales & ordinarii flant absque eorum ope.

T H. IX.

Keplerus lib. 4. Harmon. c. 7. putat Ventos è terrâ efflari vitali actione, quâ pulmones, quos in visceribus ingentes habere fingit, identidem dilatat & contrahit. Verum enim verò, cum terra animal non sit, (quod tamen seriò affirmat) nec pulmones habeat, effectum hunc edere non potest. Quid? quòd venti sæpe ab alto mari, aut partibus mediterraneis advolant, ubi terra nulla insignia habet spiracula. Neque etiam spiracula montium aut terræ in latus, sed sursum spectant: Ergo exhalationes, si quas emittunt, directè in cœlum irent, & non in latus reflecterentur. *From. d. l. art. 4.*

T H. X.

Plures contra nos quem lustrare juvat opiniones, Fromondum adeat; Hic enim causam efficientem ventorum proximam esse gravitatem asserit; quod falsum. Nam, uti antea, *Th. VII.* dictum est, causa efficiens remota Ventorum est virtus Solis ac reliquorum siderum: calore enim Solis exhalationes istæ exterrâ elevantur. Propinqua causa est frigiditas mediæ aëris regionis & nubium, quæ fuos naturâ leves & elevatos repellit, atque ad inferiora detrudit, initio quidem leniter, deinceps verò vehementius.

T H. XI.

Finis Ventorum non uniusmodi. Absolutè universalis est, narrare gloriam Dei. Hinc ad concelebrandum DEUM ab Hieropsalte invitantur. *Psal. 148. v. 8.* Respectivè universalis, inservire genti humanæ: Si omnia propter hominem sunt, quid nî & venti?

T H. XII.

Specialis & Particularis Ventorum Finis varius. Primus dici potest aëris purgatio. *Aërem enim movent, eumque pigrescere, ut Seneca l. 5. Q. N. c. 18. ait, non sinunt, sed suâ assiduâ vexatione utilem reddunt, vitalemque tracturis.* Το γὰρ κινῆσθαι τῶν ἀνέμων οὐκ ἔστιν ἀπὸ τῆς ἀνεπιπέδου φύσεως; quod movetur, minus putrescit, quàm quod non movetur, inquit Arist. 4. *Meteor. c. 1.* Et hoc experientia probat; facile enim vitium capiunt, nî moveantur aquæ; è cōtratio autem fluvii non putrescunt, cum sint in continuo motu, ac subinde quasi renoventur ac recreentur. Non dissimile beneficium aëri ventos subministrare, denuò Seneca c. 1. asserit: *In hec nimirum Providentia ac dispositor ille DEUS aëra ventis exercendum dedit, & illos ab omni parte, nequid esset situm squalidum, effudit.*

TH. XIII.

Cæteros Ventorum Fines egregiè idem Seneca de-
piagit, cum paulò pòst, d. l. ita dicit: Dedit auctòr no-
stri Deus Ventos ad custodiendam cæli terrarumq; temperi-
em, ad evocandas suppressendasq; aquas, ad alendos satorum
atq; arborum fructus: quos ad maturitatem cum aliis causis
adducit ipsa jactatio, attrahens cibum in sanna, & ne tor-
peat promovens. Dedit Ventos ad ulteriora noscenda, fu-
isset enim impericium animal & sine magnâ experientia re-
rum Homo, si circumscriberetur natalis soli sine. Dedit
ventos ad promovendas navigationes, ut commoda cujusq;
regionis fiant communia.

TH. XIV.

Ast, quemadmodum nihil usque ad eò est utile,
quin homines eo abutantur, & in aliorum injuriam ver-
tant: Ira sese res habet cum ventis similiter, ut sapius
laudatus Seneca dicere veritus non fuerit: Quod de Ce-
sare olim majore vulgò dicituratum est, & à Tito Livio posi-
tum, in incerto esse, utrum illum magis nasci Reipubl. profu-
erit, annon nasci, dici etiam de ventis potest, ad eò, quicquid
ex illis utile & necessarium est, non potest his repensari, quæ
in perniciem suam generis humani dementia excogitat.
Hæc enim classes partem freti occupaturas complet milite
armato, & hostem in mari aut post mare inquit: Vela dat
ventis bellum paratura, & periclitatur periculi causâ.

TH. XV.

Ad distinctionem accedendum est. Dividuntur
autem communiter in Regulares & Irregulares, seu Er-
raticos: Regulares illos vocant, quia certâ ac definitâ
mundi regione spirant: Suntque vel Indefiniti, vel De-
finiti, seu Stati. Indefiniti, qui non spirant ad certâ ac sta-
ta anni tempora: Et hi vel Cardinales, vel Collaterales.

Cardinales, qui spirant è Mundi aliquo cardine, nempe Oriente, Occidente, Meridie, vel Septentrione. Ab ortu Æquinoctiali proflat *Subsolanus*, der Ostwind. (2.) *Favonius* seu *Zephyrus* der Westwind à contrario cardine Occidentis procedit. (3.) à Polo Arctico immugit *Aquilo* seu *Boreas*, der Nordwind. (4.) *Auster* seu *Notus*, der Südwind à Meridie proflit. Atque hos quatuor tantum Veteres noverunt. Jovianus istos duobus versibus sic complectitur:

*A summo Boreas, Notus imo spirat Olympo,
Occasum insedit Zephyrus; venit Eurus ab Ortu.*

Et Ovidius, l. 1. *Metamorph*:

*Eurus ad Auroram Nabathaëq; regna recessit,
Persidaque & radiis juga subdita matutinis,
Vesper, & occiduo qua littora Sole tepefunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam, septemq; triones
Horrifer invasit Boreas: contraria tellus
Nubibus assiduus pluviog; madescit ab Austro,*

TH. XVI.

De Collateralium, qui Cardinalibus ad latera adjunguntur, & significationibus & numero Autores non conveniunt, ut videre est apud Arist. l. 2 *meteor. c. 6. Senecam Q. N. l. 5. c. 16. & 17. Aul. Gellium l. 2. c. 22. Varrenium Geograph. Gen. l. 1. c. 20. propos. 7. & 8.* Nam cum prima ætas quatuor tantum numerare posset ventos, Athenienses vastâ ipsorum hinc inde cognitâ amplitudine, alios quatuor addiderunt. Et hoc nonnulli Andronicô Cyrestî adscribunt, de quo *Varro* & *Virruvius* tradunt, quòd turrim Athenis extruxerit marmoream octangularem, & singulis lateribus Venti unius imaginem insculpsit, insuper Tritona æream versatilem collocârit, dextrâ manu virgam porrigentem, qui à vento

697.

vento circumactus indice virgâ eum tangeret ventum,
qui flaret, non secus ac nos in ædium fastigiis amusia lo-
camus, quibus ventorum flatus indicantur.

T H. XVII.


Verùm insequens ætas, cùm animadverteret, pun-
cta Ortûs & Occasûs Solis non esse eadem, sed diversa,
ita ut tempore Æquinoctij alio loco, alio tempore Sol-
stitij oriretur, novam protulit divisionem, singulisque
Cardinalibus duos Collaterales adjecit, unam ad dex-
tram, ad sinistram alterum. Ideò Subsolano à parte dex-
trâ adjungitur *Cacias*, ab ortu æstivo proficiscens: à si-
nistrâ, *Eurus vel Vulturinus*, spirans ab ortu hyberno.
Favonio additur à parte dextra *Caurus seu Corus*, surgens
ab occasu æstivo, à sinistra *Africus*, qui flat ab occasu
hyberno. Septentrioni spirat à latere dextro *Boreas*, me-
dius inter Cæciam & Septentrionem, à sinistro *Circius*,
inter Caurum & Septentrionem medius. Austro ad
latus dextrum adjungitur *Euronotus*, medius inter Vul-
turnum & Austrum, ad sinistram *Libonotus*, medius inter
Austrum & Africum. Hos versibus hisce expressit non-
nemo:

*Flat Subsolanus, Vulturinus & Eurus ab ortu ;
Circius occasum, Zephyrusq̃, Favonius afflant :
Et qui de medio Notus haret, Africus, Auster :
Conveniunt Aquilo, Boreas & Corus ab Arcto.*

T H. XVIII.

His denuò alii quatuor Ventî additi sunt, ita ut
semper inter duos Cardinales tres collaterales interlo-
cati fuerint; Et hunc numerum Fromondus *l. 4. meteor.*
c. 5. art. 1. abundè sufficere putat ad observationes & u-
sus Ventorum in terrâ. Sed nautæ, quorum valdè in-
terest, quo præcisè flatu sua vela impleant, terræ maris-

que superficiem triginta duobus ventis distinguunt. Inter enim duos quosque Cardinales septem collaterales interponunt. Eorum nomina, quæ à Carolo M. inventa creduntur, atque ordinem aliquò modo adjunctum exhibet diagramma. Confer Philippum Cluverium *Introd. Geogr. l. 1. c. 8*. Item Sennertum *l. 4. epit. Phys. c. 3*. Gisber. ab Ifendoorn *Phys. part. spec. tract. 4. c. 9*.



TH. XIX.

Stati sunt, qui statis ac certis anni temporibus spirant; unde & anniversarii dicuntur, quod singulis annis ad idem tempus redeant: Tales sunt (I.) *Ornithia*, ab avibus, seu *Chelidonia*, ab hirundinibus, seu verò *Rhodones*, à rosis sic dicti; Venti mites & placidissimi Favonii, qui spirant, quando hirundines & aliæ aves ad nos redeunt, rosæque florere incipiunt, eamque ob causam Horatio, *Veris comites* dicuntur. (II.) *Prodromi*, quasi *præcursores*, qui sunt *Aquilones*, & diebus octo ante Caniculæ exortum placide flare solent. (III.) *Etesie* seu anniversarii propriè ita dicti. Hi sunt venti Boreales, qui

qui singulis annis biduo post Sirii ortum quadraginta dies continuè spirant, Solis æstum, sidæris ardore geminatum, molliunt, hominibus pecudibusque grati ac salutare. Tertiâ diei horâ oriuntur, hinc etiam *somniculosi à nautis & delicati appellantur, quod mane nesciant surgere, & noctu desinant.* Seneca *Q. N. l. 5. c. 11.* Causam horum ventorum esse existimant liquationem niviam & glaciei, in montibus Septentrionalibus factam à Solis magno æstu, qui tunc temporis maximus est, propterea, quod jam per aliquot menses continuè ferè illos montes sine occasu illustravit. Vide plura de his ventis apud Fromond. *l. c. c. 6. art. 2.* Varen. *d. l. propos. 4.* & alios.

TH. XX.

Irregulares non à certâ mundi plagâ oriuntur, sed undiquaque cum impetu oberrare videntur: vocantur aliâs turbulenti, seu tempestuosi: Suntque vel cum igne, vel sine igne. Sine igne sunt vel cum pluviiis, vel sine pluviiis. Sine pluviiis Ecnephas seu Procælla, Germ. Sturmwind / & Typhon sive Turbo, Germ. Kiesel, oder Wirbel Wind. Ille est ventus rapax ac vehemens, qui è multis exhalationibus densis atque confertim acervatis collectus summâ vi, sine circumgyratione tamen & inflammatione è nube erumpit. Ejus generationem si quis scire amat, Senecam adeat, qui l. 5. Q. N. c. 12. eam sic descripsit: Cum magna inæqualitas & dissimilitudo corporum, quæ vapor terrenus emittit, in sublime eas, & aliæ ex his corporibus sicca sint, aliæ humida, ex tantâ discordiâ corporum inter se pugnantium, cum in unum conglobata sint, verisimile est, quasdam cavas effici nubes, & intervalia in illis reliqui fistulosa, & in modum tibia angusta. His intervallis tenuis intercluditur spiritus, qui majus desiderat spa-

spatium, cum everberatus casu parum libero incaluit, & ob hoc amplior fit, scinditq; cingentia, & erumpit in ventū, qui verè procellosus est, qui supernè demittitur, & in nos cadit vehemens & acer, iterq; sibi vi ac pugnā parat.

T H. XXI.

Typhon est ventus repentinus, qui effractâ nube erumpens, & in gyrum contortus, obvia quæque corripit, sursum attollit, & instar rotæ versat. Et hic ventus est impetuosissimus, nautisque maximè noxius. Non enim vela tantum & antennas, sed ipsa quoque navigia magnâ vi contorta, atque in gyrum rotata frangit, & penitus dirumpit. *Plin. l. 2. nat. hist. c. 48.* De ejus generatione ita laudatus *Sen. d. l. c. 13.* scribit: *Hoc loco, si tibi videtur, quæri posset, cur turbo fiat? Evenire, in fluminibus solet, ut quamdiu sine impedimento ferantur, simplex ac rectum ejus iter sit, ubi incurrere in aliquod saxum ad latus ripæ prominens retorqueantur, & in orbem aquas sine exitu flectant, ita, ut circulatæ in se sorbeantur, & vorticem efficiant: Sic Ventus, quamdiu nihil obstat, vires suas effundit; ubi aliquo promontorio repercussus est, aut vi locorum cœuntium in canalem convexum tennemque collectus, sapius in se volutatur, similemque illis, quas diximus converti, aquis facit vorticem. Hic ventus circumactus, & eundem ambiens locum, & se in ipsâ vertigine concitans, turbo est. Differt à Procellâ, quod ille recto cursu feratur, hic verò in circulum.*

T H. XXII.

Cum pluviam est *Exhydrias*, Ventus vehementissimus & impetuosissimus, qui è nube impulsâ erumpens cum imbribus aut grandinibus grassatur, & obvia quæque prosternit. In hoc differt ab *Ecnephiâ*, quod plerumque cum nimbis & grandine sit conjunctus, & lacus fluminaque exundare faciat.

T H.

851

T H. XXIII.

Cum igne spirat Prester, ventus ex parte ignem concipiens & inardescens, depressæ nubis specu erumpens, & proxima quæque non solum prosternens, sed etiam amburens. Senecæ dicitur igneus turbo. Longâ enim vertigine, ut Fromondus loquitur, l. 2. Meteor. c. 4. art. 1. quâ partes inter se confricantur, Turbo concipit flammam, & transit in Presterem; hinc Lucretius, l. 6.

Fit quoque, ut interdum venti vis missa sine igne, ignescat tamen in spacio longoque meatu.

Differt à Fulmine (1.) quod fulmen plus habeat flammæ, minus flatuum; Prester contra; plus nimirum flatuum, minus flammæ. (2.) Materia fulminis est subtilior, Presteris spissior. (3.) Fulmen non nisi præeunte tonitruo gignitur. *Conimbr. d. l. c. 7.*

T H. XXIV.

Sunt verò & hi venti tempestuosi quibusdam in locis periodici, & alii magis, alii minus frequentes & vehementes. Et *Ecnephas* quidem frequens est in mari Æthiopico, inter Brasiliam & Africam, imprimis ad Promontorium Bonæ Spei. Cœlo nempe serenissimo super monte quodam excelso, quem ob fastigii planitiem *Tabularium*, Germ. den *Tafelberg* / vocant, atra conspicitur nubecula, (quam *oculum bovis* ob similitudinem dicunt;) Hæc coiens paulatim & aucta se super planitiem montis extendit; quod si fit, navigantes dicunt: *die Tafel wird gedekt*; quoniam non aliter apparet, ac si mensa sterneretur, & cibi varii in patinis apponerentur. Ex hac igitur nubeculâ procella uno impetu prorumpit, ut vix nautæ vela colligere, & navim contra venti sævitiam munire queant, fluctibus modò ad alta adscendere, modò ad Tartara præcipitari videntur.

T H. XXV.

Organtinus Brixianus Jesuita è Goa, 1568. scribit,
 Typhonem in plagâ Orientali, Indico mari favisse ma-
 ximè. Nam à Sinarum regione in Japoniam navigan-
 tibus tantæ semper tempestatis incensorem esse, ut illo
 flante non nisi miraculo naufragium evitari possit, si
 vel unam perduret noctem; vela etenim, quantumvis
 egregiè firma, discindi; malos abrupti, quamvis inté-
 gros ac solidos; partes quoque navigiorum, quæ ab a-
 quis eminent, dissolvi, ac demum, si naves onerata non
 sint, etiam ab undis in aëra elevatas efferri ultra litus,
 unde faciliè collisione rumpantur. Preter rarus admo-
 dum esse dicitur, nisi quod interdum exploditur, teste
Lucret. l. 6.

In mare de celo tanquam demissa columna.

T H. XXVI.

Fromondus l. c. cap. 7. dividit ventos (II.) in Pro-
vinciales, Apogæos & Auræ. Sunt autem Provinciales,
 qui certæ alicui provinciæ familiares sunt, & quasi indi-
 genæ, quibusq; ut *Seneca. e. l. c. 17. habet, non est à latere*
mundi impetus. Hujusmodi est Circius Galliæ Narbo-
 nensi, Boreas Thraciæ, Japyx seu Caurus Calabriæ; A-
 tabalus Apuliæ, Carbasus, (qui putatur Africanus) Sici-
 liæ, proprius &c. Quin imo nulla ferè regio est, quæ
 non suos peculiare ventos habeat.

T H. XXVII.

Causæ Ventorum Provincialium sunt (I.) eorū
 reverberatio. Unde gentes quædam appellarunt ven-
 tos à montibus seu aliis locis, ad quos flatus repercu-
 tiuntur. Sic Olympias ventus ab Olympo; Scyron à
 Scydoneis faxis, quæ Scyron Latro incoluisse perhibe-
 tur, dictus est. (II.) Regionis, quam ventus perflat, an-
gusti

653.

gustia facere potest ad ventum provincialem. Inter enim montes in loco angustiore spiritus fit densior ac torrentior, ut fluxus aquæ in angusto, atque ita fortius in provinciâ, quam intrat, spirare solet. (III.) denique vicinia fungosæ terræ, aut perpetuò humentis; item maris, aut insignis alicujus lacus, unde materia ventosa nascitur, quæ cum dissipetur atque idè exilis sit, non potest longius dispergi.

T H. XXVIII.

Venti Apogai, apud Plinium *Altani*, Apulejum *Ter-rigena*, sunt venti è terrâ exorti, & per eam pergunt, & superficiem terræ radunt.

T H. XXIX.

Aura sunt molles quidam & humentes ventuli è mari, lacubus & fluminibus evaporati, & in vicinum re-fluentes. Hujusmodi venti mane potissimum exor-untur. *From. L. d.*

T H. XXX.

Divisionibus spectatis superest, ut affectiones eorum paucis examinemus. Commodissimum autem fuerit, regionum, per quas ad nos trajiciunt venti, habere rationem, quia secundum earum varietatem diversas induunt qualitates. Sic *Septentrionales*, cum per loca, ut *Fromondus* notat l. 4. met. c. 8. art. 1. frigida permeent, & ex subtilissimâ & aridissimâ nivium frigida Zonæ parte resolvantur, frigidi & sicci dicuntur, nubes forti flatu dissipant, ac serenitatem inducunt. Hinc ab Homero *odys. 5.* Aquilo *αιθηνεωθεν* vocatur, & apud Ovidium l. 6. *Metamorph.* de se loquitur.

Apta mihi vis est, hac tristia nubila pello.
item l. 1. *Metam.* canit :

— *Jupiter nimbis Aquilone remotis
Et caelo terras ostendit, & aethera terris.*

TH. XXXI.

Imprimis autem hi venti salubriores sunt, & ad sanitatem haut parum conferunt. *Primò* enim omnem arcet putredinem, adeò etiam, ut pisces, teste *Olao Magno, l. 1. de Rit. Gent. c. 2.* in regionibus septentrionalibus nullo sale conditi, sed solo aëre siccari, per totum decennium à putrefactione liberi conserventur. *Deinde* calorem nativum vegetant, corpora robustiora, firmiora, & ad motus promptiora efficiunt. Frigus enim circumstans poros claudit, calorem nativum intus retinet, spiritus collectos unit, & ne dissipentur, servat, atque idèò internæ naturæ actiones, concòctio, sangvificatio, nutritio, & id genus aliæ redduntur vegetiores. Unde est, quod Populorum Septentrionem versus sitorum corpora non melius tantùm colorata, sed salubriora etiam, ac vivaciora sunt, quàm Hispanorum, Afrorum, & aliorum.

TH. XXXII.

Verùm Aquilonem haud levia interdum etiam comitantur incommoda. Satis enim frigidus nunquam ac rigidus vites gemmantes graviter fatigat & lædit, atque fructibus recenter efformatis nocet maximè. Quin imò plurimos procreat morbos, ut sunt catharrhi, pleuritides, & similes. Inde Hipocrates *aphor. 7. l. 3. Si Aquilo, inquit, terras perflat, tussim movet, eveniunt faucium morbi, alvi dura, urina difficultates cum hor. re conjuncta, dolores laterum atq; pectoris.* Sed ex accidenti hæc fieri, non desunt, qui arbitrantur, quatenus scilicet corpus humoribus est tumidum. *Dum enim per poros sese insinuat & humores siccare nititur, corpus suo*
frigor

655.

frigore adstringere, & humorem à capite in fauces & thoracem exprimere, docet Fromondus, l. c. Haec de Aquilonibus.

T H. XXXIII.

Septentrionalibus & loco & qualitatibus sunt contrarii Meridionales. Cum enim isti propter causas ante dictas *frigidi sint & sicc*i, hi sunt *calidi & humidi*, indeque pluviosi, & sanitati minus commodi. Calidi quidem, quia per Solis iter, Zonam torridam, ad nos spirant, & ipsis maxima vaporum calidorum admiscetur copia. Humidi verò, quia per vastum mare mediterraneum multasque insignes paludes, ex quibus multas humiditates evaporari verisimile est, transeunt, cum quibus permiscuntur.

T H. XXXIV.

Aquilonaribus etiam commodis incommoda contraria producunt. Cum enim Aquilo auditum acuat, Auster eundem hebetat, oppletis aurium meatibus, & aëre, qui auditus ad percipiendos sonos medium est, perturbat. Tum caput multà humiditate referum aggravat, quintotum corpus ipsius intemperire ingravescit. Unde Poëta Venusinus *plumbeum* eum vocitare non veretur, tam quòd corpora nostra reddat coloris pallidi, quam majoris ponderis, & quasi plumbea: locus est *l. 2. ferm. Sat. 6.*

Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster,

Autumnusq; gravis, Libitina questus acerba.

Ut taceam fastidium, quod excitat, febres putridas ac pestilentes, quas inducit. Propter caliditatem enim & humiditatem, maximè, si diu & cumulatum spiret, poros in corpore humano aperit, naturalem calorem educit, & ad putredinem humores disponit; & ita sum-

mam *Auster* putrefaciendi vini obtinet: Quæ propter non insulse *Horatius l. c. sat. 2.*

At vos
*Præsentis Austri coquite hærum obsonia quamvis
Putet aper rhombusq; recens.*

TH. XXXV.

Non in animatas autem tantummodò res suam *Auster* exercit vim maleficam, sed & in inanimatas. Hujus enim flatu granaria putri mucore implentur & curculionibus; ædium parietes & scalæ madefiunt, ligna difficulter incenduntur, incensa scintillas saltem aliquas evomunt, lintea, & quidem in locis secretissimis, chartæ flaccescunt, sal liquefcit, ferrum, teste *Theophrasto*, limæ facilius obedit &c.

TH. XXXVI.

Orientalis, quia, ait *Fromondus l. c. art. 3. ex aridis & spaciosissimis Germania regionibus orti, per nullum etiam mare aut insignes lacus ad nos spirant, in Asia & nobis sunt siccissimi & calidi*: proinde svaves, sanitatique maximè conducunt; aëra quoque purgando faciunt, ut purius sit ætheræ illius auræ pabulum, quod spiritu attrahimus, ob id illis flantibus ædium ac bibliothecarum fenestræ aperiendæ. *Creduntur etiam flumina ortum versus fluentia salubrioris aqua, quia hi venti adversò flatu eadem discutunt, coquunt & perducunt ad laudibilem tenuitatem.* *From. l. c.*

TH. XXXVII.

Occidentales denique *Venti frigidi* ferè sunt & *humidi*, quòd vel habent à marino vapore, cujus magnam secum vehunt copiam, vel ab occasu Solis, qui frigiditatem & humiditatem affert naturâ; sicut nox quoque propter Solis absentiam humida dicitur & frigida.

gida. Hi, cum vere novo flare consueverint, & ad ci-
endas nubes ac pluvias prouiores, Solis ardorem tem-
perent, femina herbasque proliciunt, & gratâ omnibus
mutatione humores rediuiuos renouant, uti Poëta *Ge-
org. 2.* canit:

*Parturit almus ager, Zephyriq; tepentibus auris
Laxant arua sinus: superat tener omnibus humor.*

Quamvis præcipiti jam autûno vehementius spirent, &
in excitandis morbis frigidis ac pituitosis non parum
valeant.

T H. XXXVIII.

*Aristoteles sect. 26. probl. docet, canes flante Favonio
aberrare à feris in venationibus, eò quòd ventorum ma-
ximè continuûs ac terræ proximus feratur; idèò tur-
batò aëre, confunditur ac dissipatur ferè odor, quo a-
missò aberrare canes necesse est. Fromondus tamen
d. l. art. 2. Boreâ flante id fieri statuit; alii Austro.*

T H. XXXIX.

Equos vento Zephyro concipere, & foetum edere,
scribit Virgilius *Georg. l. 3.*

*Ore omnes versa ad Zephyrum stant rupibus altis
Exceptantq; leues auras, & saepe sine ullis
Coniugiis, vento gravida, mirabile dictu,
Saxa per & scopulos & depressas conualles
Diffugiunt.*

Huic Plinius *l. 8. c. 42.* ad stipulatur, cum inquit: *In Lu-
sitaniâ circa Olyssiponem oppidum, & Tagum amnem equas
Favonio flante obversas animalem spiritum concipere, idq;
partum fieri & gigni perniciosissimum ita, sed triennium vi-
tam non excedere.* Id ipsum etiam in Cappadociâ con-
tingere memorat S. Augustinus *l. 21. de Civit. Dei. c. 5.*
At fides esto penes Autores; Lusitani hodie non ne-
gant

gant saltim, sed & Justinus *lib. 44. c. 3.* ex equorum fecunditate esse has fabulas natas autumat.

TH. XL.

Quin etiam ova quædam, Hyponemia Græcis, Zephyria verò, & subventanea Latinis, voce quamvis non Latinâ, vocantur, quæ foemellæ absque maris operâ, solo vento concipere creduntur, omniaque infœcunda suat. & nihil ex iisdem fit, quantumvis diligenter gallina incubet. Hæc verò quod attinet, *maris imaginatione illa formari existimat d. l. Fromondus.* Hæc de qualitatibus scripsisse sufficiat.

TH. XLI.

Postremò tandem de signis Ventorum hîc attendendum quid est, quorum varia à *Zanardo, Bartholino, Vareno, Fromondo* & aliis traduntur. Nos potiora tantummodo receasimus, omissis illis, quæ aut fabulosa videntur, aut planè superstitiosa. Itaque Ventorum præfagium *primum* est, si Sol in ortu maculosus appareat, & sub nube pallidâ lateat, vel atrâ.

(2) *Sol denunciat igneus Euros:*

*Sin macula incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbusq; videbis
Fervere. Virg. l. 1. Georg.*

(3) *Luna, ut Virg. c. l. habet, revertentes cum primum colligit igneis*

*Quod si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit: Vento semper rubet aurea Phæbe.*

(4) *Halo, si dissipetur, ventum prænunciat.*

(5) *Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipientes cælo labi, noctisq; per umbram
Flammæ longos à tergo albescere tractus. ibid.*

(6) *Corvi*

(6) Corvi singultu quodam latrantes, seque concutientes, si id continuabunt, præ sagire ventos videntur.

(7.) *Cum medio celeres revolant ex aequore mergi,
Clamore quæ ferunt ad littora: cum quæ marina
In sicco ludunt fulicæ, notas quæ paludes
Deferit, at quæ altam supra volat ardea nubem.*

& quæ sunt alia, recensente Virgilio, eod. l.

(8) Astrologi ajunt, cum Luna ad Jovem accedit in Cancro, status exoriri ventorum.

(9) Pluviis cessantibus plerumque venti flare incipiunt, ut supra Th. IV. dictum.

(10) Ridiculum est, quod nonnulli asseverare audent, somnium hominum de avibus proximo die certum ventorum signum esse. Vid. plura apud From. l. 2. meteorol. c. 4. art. 2. & Var. l. c. propos. 16.

Hic limites & termini dissertationis de ventis sunt: Vasa colligere, & receptui canere tempus jubet. Te L. B. rogatum volo, ut, quæ hæctenus perpendi, æqui bonique consulas, & si non singula ad amissim exasciata deprehenderis, veniam ausis des juvenilibus.

Glorioso Deo sit Gloria!



D

Præ-

Præstantissimo

DN. JOH. FRIED. PEUSCHELIO
Philos. & SS. Theol. Cult. indefesso de
VENTIS publicè disputaturo
FELICITER!

Ventorum exponis dum flamina, Flamen
Jovæ
Adspiret studiis, apprecor usque, TUIS.
benevolentia testanda apponebam
Joh. Ern. Gerhardus, SS. Th.
D. Prof. Publ. & h. t. Acad. Rector.

Vento qui studiis incūbis, Amice, secundo,
Si pergis, Sophiæ præmia summa feres.
Gratulab. deprop.
Erhardus VVeigelius PP.

Politisimo

DN. PEUSCHELIO Phil. & SS. Theol.

Studiofo indefesso, felici

De ingenii felicitate, Morum Innocentiâ, Laboris assiduitate; non minus

Quàm presentii erudito profectuum Academicorum
specimine animus grat.

Prælia VENTORUM doctè describis, AMICE,
Heus aderunt Phœbi certa brabœa TIBI.

effudit

Johannes Christoph. Hundeshagen
Fac. Phil. Adjunctus.
Laus

LAus tua cum ventis celeri pede, dulcis amice,
Tendit ad Eoas Hesperiasque plagas.

Hæc animis applaudere suo amico inter-
geritimo voluit

Immanuel Reger, Ratisbon.

Dicunt, per ventos nulli advolat assa columba,
At Tibi per ventos gloria magna venit.

Non Te pœniteat magnos penetrare recessus,
Serta parat capiti, docta Salama, Tuo.

Hæc Cilius ævoca adponebat

Joh. Pet. Prùkl, Ratisbonensis.

Dum ventum enervas, imitaris propria Venti:
Ventus summa petit, Tu quoque summa petis.

f.

literatissimo Domino Autori & Ami-
co estimatissimo

Georgius Bürger / Curienfis.

Tam bene ventorum status exponere, Nomen

Quid nisi per ventos mittere ad alta suum?

in honorem & amorem sui Peulichelii, Philos.

& S.S. Theolog. verè Studiofi, hoc

LMQ. adjiciebat

Joh. Casp. Begelein /

Culmb. Franc.

Madrigal.

No willst du dich den Psyllern gleichen /
Mein Freund, die mit den Mittag Wind
Der Stärke Zeichen zu bezeugen

Sich

J 607

4933d

Sich auch zuschlagen sind gesinnt/
 Wo nicht Herodotus betriegeret/
 Der dieses aufgezeichnet hat?
 Nein/nein/du trittst auf andern Pfad/
 Der über falsche Tugend sieget.
 Es kan dir nicht das Sand/Gekiesel
 Verfinstern dein Gesicht/noch alles Wirbel/Wehe
 Verhindern diesen Künste-Lauff/
 Gleich jenen. Wer auf solche Sachen
 denket /

Die nicht in so verringten Kauff
 Bestehen nur/der wird aldort bestehen/
 Wohin der Fama Wind ihn wird beglei-
 ten/
 Nechst den Unsterblichkeiten an die Sei-
 ten.

Dieses setzte seinen treuen Freunde dem Herren
 Antwordenten glückwünschend eyligst.

Johann Georg Layritz.





